

*89. Instrumentum venditionis
di Antonio de Amigdola in
favore di Comino Paracampo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*89. Instrumentum venditionis
di Antonio de Amigdola in
favore di Comino Paracampo*

1388-12-20

(c. 313v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo trecentesimo settuagesimo nono, regnante serenissimo domino domino nostro Lodovico secundo Dei gratia rege Hierusalem et Sicilie, ducatus Apulie, Andegavie et Turonie duce, comituum Provincie, Forcalquerii, Pedimontis ac Cenomanie comite, regnorum vero eius anno quinto feliciter amen, die vicesimo mensis decembris, // (c. 314r) duodecime inditionis, apud civitatem Potentie.

1

2

Nos Nicolaus de Oppido de Potentia eiusdem civitatis annalis iudex, Tomasius Strambus publicus ubilibet per provincias Principatus citra et ultra serras Montorii, Capitinatus <sic> et Basilicate regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notumfacimus et testamur quod constitutus in nostri presentia Antonius de Amigdola de Potentia, non vi, non dolo, metu ductus nec aliquibus suasionibus motus, sed sua mera, libera voluntate, sicut sibi utile et expediens visum fuit, vendidit, alienavit et per fustem <sic> traditionem assignavit, iure proprio et inperpetuum, Comino Paracampo de Potentia, ibidem
Così S per octuagesimo

La datazione, così come trädita dalla trascrizione cinquecentesca, presenta diversi motivi di incoerenza: al 1379, infatti, spettò la terza indizione e non era in carica Luigi II d'Angiò. Si propone di attribuire la testimonianza in oggetto all'anno 1388, cui spettarono la dodicesima indizione (terzo quadrimestre) e il V di regno di Luigi II, a partire dalla data della morte del padre (20 settembre 1384).

presenti, pro se et suis heredibus ementi et stipulanti, terras quas habet pro indiviso cu[m] Nicolao de Roto de Potentia, sitas in tenimento civita[tis] Potentie, in loco ubi dicitur Pumari, ab una parte superiori iuxta terras diaconi Creti et terras Nicolai de Lacupensulicomuni limite; ab alia parte inferiori iuxta terras Ludovici de Iusualdo mediante limite comuni, iuxta terras cantoris Potentie, iuxta terras Sante Trinitatis et terras Ioannelli de Madio mediante limite, iuxta terras Nicolai de Roto mediante comuni limite, iuxta vias puplicas et alios fines; et dittus venditor prefatum emptorem in corporalem possessionem dittarum terrarum coram nobis per fustem induxit ad verum dominium et proprietatem ipsius emptoris et suorum heredum ad habendum, tenendum, possidendum, donandum, permutandum nec non et quocumque modo // (c. 314v) voluerint dittus emptor et sui heredes alienandum, cum viis suis in dittis terris intrandi et exeundi atque ab omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis sibi pertinentibus quovis modo. Pro qua venditione dittus venditor coram nobis confexus fuit se habuisse presentialiter et manualiter recepissee a ditto emptore, nomine pretii, in carlenis argenti, sexaginta per unciam et duobus pro tareno quolibet computatis, unciam unam et tarenos novem ponderis generalis, totum silicet pretium venditionis ipsius, promittens dittus venditor pro se et suis heredibus <sic> ditto emptori, pro se et suis heredibus stipulanti, litem vel controversiam vel questionem aliquam de dittis terris ullo umquam tempore non inferre nec inferenti consentire vel assentire, sed dittas terras eidem emptori et suis heredibus ab omni homine et persona quacumque legitime defendere, guarentire et disbrigare et de evitione teneri et dittam venditionem et omnia et singula supraditta et infrascripta

firmum <sic> et firma, ratum <sic> et rata habere, tenere et nunquam contrafacere vel venire, per se et suos heredes aut aliquos quovis modo, in iudicio et extra iudicium, de iure vel de facto, aliqua occasione, modo, iustitia seu trattatu, sub pena duplii pretii supraditti, medietate ipsius pene regie curie vel alteri curie ubi exinde fatta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate ditto emptori vel suis heredibus persolvenda, totiens et quotiens exinde fuerit quomodolibet // (c. 315r) contrafactum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte ditte curie et ditto emptore pro se a prefato venditore sollemniter stipulantibus penam ipsam; qua commissa vel non, exatta aut gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret, cum refettione dapnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento ditti emptoris et eius heredum, nulla alia probatione quesita; et renuntiavit super hiis dittus venditor sollemniter et expresse, pro cautela ditti emptoris et suorum heredum, exceptioni ditte vero pecunie non numerate, non solute, non habite et non recepte et non boni argenti, legi ressissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum et special[iter] iuri dicenti generalem renuntiationem non valere e[t] iuri per quod cavetur quod ditto iuri renuntiari non [possit], quibus et propter que ditte confexio et venditio [seu] scripti huius tenor non <sic> posset in aliquo minui vel inf[ringi]; pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis quodque predicta omnia et singula vera sint, dittus venditor prefato emptori presenti

et recipienti coram nobis corporaliter tatta prestitit ad Santa Dei Evangelia iuramentum. Presente Cherta Tomasii iudicis Iacobi, uxore ditti venditoris, mero iure Romano vivens, sicut ceteri homines et mulieres de ditta civitate Potentie (c. 315v) ab antiquo vixerunt et vivunt, dittam venditionem per eundem virum suum fattam, sicut predicatur, ditto emptori, sua spontanea voluntate, ut dixit, consensit atque ratificavit et acceptavit <et renuntiavit> omnibus iuribus, rationibus quibuscumque que sibi competunt et competere possunt in futurum, in et super dittis terris venditis, tam ratione dotium suarumque dotarii quam aliorum iurium quorumcumque et de ipsa venditione firma et rata habere et non contra ipsam vero venire quoquomodo. Et proinde obligavit se ad penam predittam sollemniter stipulante ut supra et ditto emptore proinde coram nobis corporales tatta iuravit. Unde ad futuram memoria et ditti venditoris preces et eiusdem emptoris et heredum suorum cautelam, fattum est exinde presens puplicum instrumentum per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis ac nostrorum predittorum testium subscriptorum subscriptionibus roboratum.

3

4

5

6

Così S per cum

Così S per ingenio

Così S per preterea

Così S per habenda

7

8

Quod scripsi ego predittus Tomasius publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus rogatus et vocatus
interfui ipsumque meo solito signo signavi. (S) †
Ego Nicolaus de Oppido annalis iudexcivitatis Potentie
interfui † Ego domnus Gregorius de Paldonia
archipresbiter Sante Trinitatis interfui † Ego presbiter
Leonardus de Moyse canonicus Potentinus interfui †
Ego presbiter Leon de Agia testis interfui

9

Così S per veniendo
Così S per stipulata
Così S per Ogerio (da docc. coevi)